

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Disputationes Chirurgicae Selectae**

**Haller, Albrecht von**

**Lausannae, MDCCLV.**

**VD18 90538889**

XXXVII. Quaestio Medico-Chirurgica, An Oculi Punctio Cataractam  
Praecaveat.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16577**

XXXVII.

Q U Æ S T I O  
M E D I C O - C H I R U R G I C A,  
A N O C U L I P U N C T I O  
C A T A R A C T A M P R Æ C A V E A T.

*Quam Praside*

PET. LE HOC, MEDICO-REGIS,

*Tuebatur*

ABR. FR. LEO COL DE VILLARS,

Parisiis 27 Februarii 1749.

V 3





XXXVII

QUESTIO

MEDICO-CHIRURGICA

AN OCULI TRACTO

CATARACTAM PRÆCIPUAT

Quæstio

EST LE NOC: MEDICO-REGIS

Tractatus

ABR. FR. LEO COL. DE VILLARS

Parisii apud Typographum 1719





## I.

**E**Rgone quæ oculum tam egregie callet, medicina cæcutiret? Adeo parum oculata videretur in oculorum morbis? In his enim curatam esse remediorum ope medicinam, passim & palam conquerentes audias. Afferunt in exemplum *cataraclam*, in qua percuranda tam sæpe cespitat ars curandi. Dubitas? Nonne prima *cataracla* exorientis initia, certa habentur futuræ cæcitatæ auguria. Parcius ista tamen medicinæ obijcienda; quod enim illi crimen imputant, illorum prorsus vitio detur, qui circa *cataraclæ* operationem, ut ut erudite occupati, in medendi legibus hospites sunt & peregrini. Sic ferme sunt, qui plures æquo acutæ suæ auxilio confisi, temporibus, & locis infligendæ, (quamquam ad geometriæ regulas) *cataraclæ* sagaciter deprimendæ unice student. Ejusmodi hominum scientia, digitorum arithmetica est dexteritas. Quippe ii sunt distantiarum lineas, puncta in solidis, guttas in fluidis numerare docti. Ast ut hæc non omittenda, ubi se dat operandi necessitas, sic providenda imprimis quæ & meliora, & plura offert, certior medendi methodus. Hæc autem in morbis arcenda docet, quæ præfagiuntur pericula; usque invigilans occasione, quæ medicationis est anima) ne ipsi desit. Hic autem, occasio prophylaxis est, declinando nempe operationem, heu fluxam nimium & dolosam! Et quidem in occasione occupanda toti fuerunt medicinæ proceres antiqui; at non sic ophthalmici medentes plurimi: in quo *operatores* oculos discernas, ab ophthalmicis medicis. Hi ad artis medendi canones sua moderantur, & regunt opera; illi ad manus, & digitorum dexteritatem. Quorum autem, aut densior numerus; ita vulgatus est *cataraclæ* curationis erratum. Id ergo in medicinam refundere tam iniquum, quam falsum est. Male sana nempe, quia docta male instæc oculariorum gens, & morborum prophylaxeos prorsus ignara. Hinc accersitus ad ægrum istic ocularius manum consulit magis, quam animum: quid mirum; ad opus vocari unice se putat, prævio tantum facto examine, maturaveritne *cataracla*, forsan addita tempestatis, & ætatis ægri aliquantula mentione. Insuper aliquid desideras; de Anatomica *cataraclæ* sede balbutientem, ut poterit, audies; cum hanc in crystallino humore sitam nuper definitum esse audierit: cui si garrire ulterius libuerit, de acido lymphas coagulante non ni hil effutiet, nam vel tonlorum istæc vulgaris cantilena est; dum distinguere pelliceam à crystallina *cataraclam*, glaucosin à glaucomate, melius consultus deberet: imo si hominis sani cogitationem admitteret, animo posset observari prophylaxis omiffa, vel revocanda. Sed ejusmodi rerum, quæ mentis aciem facile fugiunt, plane securus; de incertitudine operationis, ne verbum quidem habebit. Inde

gene-





*generalibus remediis (ut loqui norunt) tantummodo præmitti iussis, operationis alea jacitur, sit ergo periculum, ægrine, vel operatoris? Dices, utriusque.*

## I I.

*Vide Se-  
verinum  
de recon-  
dita absce-  
ssuum do-  
ctrina.*

Interim grave illud, nec infrequens periculum; cum ex eorum genere morborum sit *catarrhacta*, qui ab humoris *Decubitu* fiunt; sed in ejus morbi curatione, quantam sibi vindicet partem medendi methodus, aut scientia? Aperit recondita abscessuum doctrina; cujus autor, & medicinæ, & chirurgiæ notitia percelebris ostendit, quantum medicinæ consiliis, & mente medi-chirurgorum manus indigeat. Cæterum ut ad salutem, vel ad exitum, sit quilibet *decubitus*, medentis peritiæ est, & officii, alterum ab altero discernere, quo procurando bonum, malum possit avertere. Hoc autem opus, hic labor in medendo; soli quippe artifici novisse datum est, quid faciendum, quidve omittendum, in quo tota ejus, qui criticos motus, vel effectus intelligit, & expectat, sapientia versatur. Unde juxta crifum leges, permittendum est, & adjuvandum quidquid ad ægri salutem pertinet, avertendo illud omne, quod ut morbi lucro sit, sic ægrotantis damno vertitur. Atqui quod ab operatione *catarrhactæ* imminet malum, solus œconomix animalis legum ignarus negaverit. Ex tot enim quibus hæret retinaculis *catarrhacta*, contipitur, quanto discrimine a fede sua avellatur: addideris vasorum myriades quibus alluitur oculus, tum omnes quibus compingitur nervorum fibrillas; ut violentam esse, sic cruentam posse fieri istam avulsionem, intelliges. Quidquod suas ducant origines illa capillarum vasculorum millia a majoribus vasorum illicibus: arctiora ne putabis cum, universo corporis œconomia? Immane igitur, quam grave est, quod ab operatione *catarrhactæ* imminet periculum! Felices tamen quos sola hæc discrimina manebunt, nec pauciora enim, nec minora quæ impendent. Quibus incommodis ut subveniretur, si fieri posset tanti momenti ipsis visæ sunt oculi partium distantia, ut ad normam, & perpendicularum æstimari meruerint; ita ut proditum fuerit, ferventique calamo definitum, de crystallini loco, situ, distantia, tum de loci puncto, ubi acus debeat applicari. Bene equidem; si corpus crystallinum laxum ut est, mobile & pendulum, cum

*D. D. fixo super mensa, linearum, & angulorum commensu concordaret. Imo moveri posse crystallinum ad pupillam accedendo, declarant peritissimi in rebus anatomicis viri, quorum ut culter, sic lingua mentiri cavet: interrim ut non capiunt similes operationis elegantias oculariorum plurimi, quot inde operantibus opprobria? Quot ægrotantibus mala portendantur?*

## I I I.

Majorne alicubi Prophylaxi locus? Quæ solemnis & usitata erat, quamdiu ocu-





oculariæ medicinæ clavum tenuit ars medendi. Sed hujus experts, & in-  
 erudita *operatorum* ophthalmicorum gens, stupore vulgi facta est medica-  
 trix; totumque curationis *cataractæ* negotium ad operandi sagacitatem uni-  
 ce devolutum. Hinc hodie *cataractam* deponere, sanare est, obsoleta pe-  
 nitus veterum Prophylaxi: continebatur hæc apta diæta, & multigenis  
 venæ sectionibus, bene conscis medendi magistris, non solius oculi mor-  
 bum esse *cataractam*, sed insimul ali totius molis sanguinæ vitio. Hoc  
 dyscrasiam dices? Nihil moramur, catharsin enim, vesicatoria, setones,  
 cauteria, herbasque morbo proprias, usuque compertas commendarunt.  
 In excogitanda medela, arteriotomiam addidere feliciores, quibus auxi-  
 liis annuit quoque posterior ætas, sanguinis circuitu ditior facta, & doc-  
 tior. Comperto enim semel sanguinis orbiculari motu, ejusque per ocu-  
 lum intra horam multiplici itu & reditu, satis intelligitur, quam necessa-  
 rio, quam libere, quam tuto mitti sanguis possit. Cæco-  
 ne consilio? *sm.*  
 Imo sapienti, ne scilicet in horas, eundo vires morbus acquirat. Hæ  
 fuere sanguinis avertendi rationes, aut ad longinqua eum removendi viæ,  
 quibus etiam hodie omnes insistant. Diverticulum aliud aperit & Anato-  
 mia recens, quod enim detecti fuerint proprii humoris aquei ductus, vel  
 pervii canales, quibus humor ille ad oculum it, reditque, hujus opus  
 est, nec gloria non mediocris. At inde spes affulsit, prodiitque ratio  
 non obscura exordientis *cataractæ* demolitionem moliendi. Ars sane præ-  
 clara, morbum in ovo præfocandi. Cum enim ab humoris aquei stagnan-  
 tis sorditie enascatur *cataracta*; sorditiei præbit humoris aquei putrescen-  
 tis facta evacuatio; paracenteseos genus est, antiquis compertum, nec  
 insolitum; quo ex oculi camera, non secus ac ex abdomine *ascitico* serum  
 educitur. Tutiozem cogitabis prævertendæ *cataractæ* modum? Cum enim  
 partis albæ sanguinis proprius sit morbus *cataracta*, ut pote ad serum per-  
 tinens, vel lympham; per venæ sectiones præmissa partis rubræ curatione,  
 ad rem propius attinet nihil, quam ad partem albam, alteram converti  
 curam. Hoc præstabit oculi paracentesis, hinc serosi *decubitus* molem mi-  
 nuendo præsentem, illinc futuram novi *decubitus* alimoniam suffurando.

## I V.

Tutiozem ergo non habes *cataractæ* declinandæ modum. Et vero peri-  
 culosum - ne erit magis, ægrotantibus visum restitui ejusmodi oculi punc-  
 tione, quam eadem senibus, (quod confirmat usus) reddidisse visum?  
 Quam tot avibus, a punctione non absimili, sic illæsam fuisse visionem,  
 ut brevi repullulascante aqueo humore, redintegrata illa plane redierit;  
 imo duplici titulo, felicem successum spondet paracentesis, scilicet utriuf-  
 que *cataractæ* radices præscindens: nam aut in crystallino, aut in aqueo  
 humore fixerit sedem hic morbus, utriusque fiet satis, cum lymphæ quæ al-  
 terutrusque parens, & atrix est, plane exhauriatur. Apage, succlamant,  
 Tom. II. X isthæc

Vide Ho-  
vium pas-  
sim.

Vide Ho-  
vium pas-  
sim.

Plin. lib.  
25. c. 13.  
p. 425.

edi. 168.  
Cæl. Au-  
reliaz.

morb.  
Chroni-  
cor. lib. 1.

c. 5. p.  
335. edit.  
in 4to.

1709.  
Vid.  
Mang.

bibliotheca  
chirurgica  
lib. 3. tom. 1.  
p. 506.





isthæc *cataractarum* discrimina; pelliceas exulare dudum iussimus; solaque dari crystallinas a nobis sancitum, & pronuntiatum est. Verum quo ex tripode? Parvo certe: saltem non erit effatum summi illius in arte dictatoris, quem in medicina nec falli, nec fallere posse creditum est, *Hippoc.* illius, inquam, qui *ut negligenter nullibi se gessit, temere nusquam locutus est.* Cataractam pelliceam a veteribus Anatomicis fuisse deprehensam, hanc quoque a recentibus in dies deprehendi nobis satis est: cui facto refragari ut mentis præposteræ, sic & laudi & gloriæ minus confulentis est. Itaque adhibitis omnibus ad prophylaxim præsidii, si illis minus bene vertentibus, perseverent crescentis *cataractæ* signa, paracentesi locum dari, quid erit incommodi? Quin imo reducta sic aquei humoris putri eluvie, *cataractæ* jam jam concrefcendæ Embryones subtrahas. Unde aqueus humor in amurcam coire facilis, aut pellicæ illius atomi coadunari, & in membranulam exporrigi aptæ, penitus ejiciuntur. Aliunde-ne melius præcavebitur pellicea *cataracta*? Excogitabitur fordidatam crystallini superficiem detergendi tutior via? Aut mucidam, qua insuccatur, lympham exhauriendi certior ratio, ut meliori deinceps succo refarciri possit. Quod perficiet paracentesis, *cataractæ* crystallinæ exordia delendo. Sua quippe est aqueo humori perennis circulatio, ita ut vacuato crassiori, alter purior succedat; sic vitiatam humoris aquei cameram eluendo, tergit, hæcque, accedente humoris novi limpitudine, niret. Amplius roscidæ qualitatis non exors, qui succedit humor; hac qualitate mulcet crystallinum, & stagnantis lymphæ mucorem liquando penitus resolvit. Promptiusne, vel tutius, nitorem suum aliunde recuperabit crystallinus humor? Pristinamque melius suam resumet limpitudinem? Qua methodo rite peragatur oculi paracentesis, paucis accipe. Caput ægri a tergo ministri manibus excipiat, fixumque stet & immobile. Accedat ophthalmicus facie versa ad faciem. Acum habuerit præ manibus lanceolatam, cujus acies secandi habilissima, latior, contractior-ve fit, pro diversa cornæ jam jam perforandæ diametro. Insinuetur acus in ipsam cornæ dilucidæ substantiam, oblique ducta ab imo ad summum, lineæ unius transversæ spatium, aut circiter a conjunctiva distans. Partem cornæ ejusdem dumtaxat infimam pupugris, iridi ac pupillæ parcas diligenter. Quod quidem feliciter successisse quamplurimis, notum est. Eadem ratione, nobilis quidam miles in regia invalidorum domo, *cataracta* fuit liberatus. Nec Anglis incognita oculi paracentesis, quam ita laudabiliter a muliere Angla tentatam refert Mangetus, *Vid. Bibliothec. chir. tom. 1. p. 503.* ut ne minima quidem cornæ cicatrix remanserit. Educto aqueo humore, splenium molle albumine ovi aqua rosacea diluto, madidum, perforato oculo admoveatur. Quietem & diætam præscribat medicus.

## V.

Præcavendæ igitur *cataractæ*, idonea maxime oculi paracentesis. Hujus necess-





necessitatem aperte suadent alterius operationis incertitudo & periculum. Indecorum profecto, stupendumque; tantum strepitus hodie per orbem medicum moveri, & audiri de morbo, & operatione; cum illius natura anceps adhuc, & dubia sit; hujus vero successus in ambiguo. Quantumlibet enim nomen consequi studuerint *cataractarum crystallinarum* acerrimi fautores, quantumvis vulgi auribus obstreperint, non ideo oculus pelliceis minus tentabitur. Quid si veterum pellicæ cum crystallinis, quæ glaucomaticæ, cum glaucomate confundantur? Vel glaucosis accipiatur pro glaucomate? Hanc dubitandi ansam suggerit facta nuper observatio, qua innuitur, modo totum vitari crystallinum corpus, in *cataractæ* affectionibus; modo solum illius, & summam superficiem. Unde terni vel quaterni morbi, operatori distinguendi veniunt; internoscendum quippe illi est, sit-ne pellicæ veterum *cataractæ*, vel crystallina neotericorum? Glaucosi, vel glaucoma, ut ad cujusque naturam, & conditionem, acus aciem dirigat & moderetur. De glaucosi enim non est cur dubites; unde se dat suspicio glaucosim non infrequenter, pro glaucomate venire, ita ut non totum semper crystallinum corpus operator deturbaverit; sed aliquantum solum, eamque summam, aut superficiariam partem; quam acus, non fecus ac scalpri acies, vel radulæ actio separat, & præcipitat. *Desquamationis* species erit, aut ut in ossium morbis se habet, genus *exfoliationis*, qua crystallini aridæ, vel putres lamellæ deprimentur. Hanc adjuvat conjecturam observata peruciditas superstes, ut visa fuit in lentis, ut ut exiguæ, reliquiis. Hinc minime mirum, quod resecta tantum crystallini portione, visio hebes licet, ab operatione superat. Saltem non incerta hæc observatio receptam de totis crystallinis operatione deturbatis, ac familiarem nimis opinionem incertat. Quam tamen sibi plaudendo tuentur; ecce enim nobilibus exterorum auspiciis & nominibus fultam publice venditant; sed id nostri, sicut & illorum juris est. At quam levi rationum pendere? Dicas tam futilibus argumentis suam opinioni voluisse fidem derogari. Igitur non nisi caute, & sapienter admittantur crystallinæ cataractæ. Quod enim dentur, dubitatio; quod solæ, negant omnes. Egregios scilicet, subridendo inquent, humoris aquei foetus; an membranulas ex illius sinu formari, & compingi posse, quisquam sapiens existimabit. Sed horum exemplar ad umbrant chymistæ, dum succos ad pelliculam vaporant. Quin & docet melioris notæ Anatomicus, qua arte, quo mechanismo efformentur. Formatas alter ostendit in eadem scientia versatissimus. Ambiguus ergo *cataractarum crystallinarum* status, anceps operatio, origo incerta; ergo præsidium quod nascenti malo occurrit, cæteris anteponatur.

*Ergo oculi punctio cataractam præcavet.*

F I N I S.

X 2

*Vile Santorini obs. Anatom. c. 4. p. 81.*

*Ibid. p. 82.*

*Vile The- sim Hen- rici Hala Magde- burgicæ 1729.*

*Morgan- ni ad- vers. VI. Santorini obs. 83.*



ERRATA (164)

Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



QUESTIO





XXXVIII

Q U Æ S T I O  
M E D I C O - C H I R U R G I C A ,

*Quam Præside*

M. ANTON. DE JUSSIEU, P.P.

*Tuebatur*

J O A N . B A P T . T H U R A N T ,  
S U B H A C V E R B O R U M S E R I E  
A N I N C A T A R A C T A , P O T I O R L E N T I S  
C R Y S T A L L I N Æ E X T R A C T I O P E R I N C I S I O N E M  
I N C O R N E A , Q U A M D E P R E S S I O P E R A C U M .

Parifis 14 Martii 1752.

